

fortitudine suâ: non utique in fortitudine illorum, sed in fortitudine eius qui præparat magnos Prædicatores, Sanctos, Sublimes, Eximios Pastores & Doctores, humiles in se, excelsos in ipso. Hi sunt montes qui rigantur de superioribus, quorum tam doctrina quam pietas *desursum est, descendens à Patre luminum, quorum conversatio in cælis est*, qui sic à sole iustitiæ prius illuminantur, ut ab ipsis deinde lumen ad valles descendat. Hi sunt montes per quos nobis prærogantur Scripturæ, siue Propheticæ, siue Evangelicæ, vel Apostolicæ, vel quæcumque aliæ.

Cùm igitur B. Thomas Aquinas fuerit (verbis utor Beffarionis Cardinalis & Patriarchæ Constantinopolitani) *non minus inter sanctos doctissimus, quam inter doctos sanctissimus*; & ut loquuntur Summi Pontifices Clemens VIII. & Paulus V. *tum sanctitatis ac miraculorum gratia, tum doctrina laude clarus extiterit Angelicus, ideò diuina voluntatis interpres, & splendidissimus Catholice fidei athleta* nuncupatus: eum esse montem quis dubitare queat?

Cumque in Scripturæ sacre pagina, tam super nouum, quam super Vetus Testamentum scripta, plurimæque alia opera in Dei laudem, fideique dilatationem, eruditionemque studentum, non ABSQVE SPECIALI DEI INFUSIONE PERFECERIT, ut Ioannes XXII. in Bulla Canonizationis eius loquitur; *in eisque conscribendis interdum Sanctos Apostolos Petrum & Paulum colloquentes & locos illi quosdam Dei iussu enarrantes habuerit*; Fratrique Reginaldo dicere solitus fuerit, se quicquid sciret non tam studio & labore, quam diuinitus traditum accepisse: An non mons Aquinas, quem rigauit Deus de superioribus; quem cœlesti rore suæ benedictionis perfudit: quem gratiarum & doctrinæ affluentia donauit?

Sed erit fortasse qui nesciat, quomodo de fructu operum eius satietur terra. Qui hoc nescit, haud scio quid sciat, cum candorem lucis fulgentissimæ non conspiciat. *Eius doctrina* (ait Stephanus Parisiorum Episcopus) *fulget Ecclesia, ut sole luna*. Ipse tanta fuit à Deo scientia dotatus, *ut ordinem Fratrum Predicatorum & vniuersalem Ecclesiam illustrauerit*, ac B. Augustini vestigia insequens Ecclesiam eandem doctrinis & scientiis quamplurimis adornauerit, quemadmodum Urbanus istius nominis quintus loquitur. Atque ut Pius V. ait: *Omnipotētis prouidentia factum est, ut Angelici Doctoris & veritate doctrina, ex eo tempore quo cœlestibus cibus adscriptus fuit, multæque deinceps exorta sunt hæreses, confusæ & conuictæ dissiparentur: cuius meritis Orbis terrarum à pestiferis quotidie erroribus liberatur: cuius scriptorum clypeo militans Ecclesia hereticorum tela feliciter elidit*; cuius doctrinæ veritas in omnem terram exiuit, & in fines orbis terræ verba oris eius: cuius libris omnes edocentur, Philosophi & Theologi, Medici & Iuriconsulti, Discipuli & Magistri, Concionatores & Professores; Omnes enim hi de fonte bibunt Angelico, & satiantur de micis quas Aquinatis mensa copiosè effudit: ut proinde Ioannes XXII. merito dixerit *illud Psalm. Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra; in eo verissimè impleri.*

Quoniam verò mons est B. Thomas, & quidem à Deo de superioribus suis mirificè irrigatus; quemadmodum sponsus dicit, *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius*; ita ego ab annis septem & triginta